





Rés  
45  
(2)

S O T E R I A  
PRO PETRO  
G A S S E N D O ,  
H V I V S Æ T A T I S  
P H I L O S O P H O R V M  
P R I N C I P E ,

Recens è Peripneumoniâ recreato.



L V G D V N I ,

Apud GVILLEMVM BARBIER , Typographum Regium .

M. D C. L I V.

АІЯГО  
ПРОФЕТІЯ  
ГАССЕНДО  
ХУАН АТАТИС  
МІНІСТОРІЯ  
ІНІЦІА  
Лауренцій Попелюшко



ДАСОННЯ  
Андріївського Палату, Тоболівського Регіону

№ 2612



# SOTERIA PRO PETRO GASSEND.

**V**ICIMVS! & nostris tandem exorata querelis  
Fata secaturas pretiosa stamina vita  
Sustinuere manus. Spirat GASSENDVS, & illâ  
Quâ modo non licuit, securus vescitur aurâ.

Hoc debet sibi noster amor: nec inanis ad aras  
Victima procubuit; nec amore litata ministro  
Nequicquam innocuas vacuauit sanguine fibras,  
Vt pia desereret nocuus præcordia sanguis.

O quantum inuidia Superis! cùm didita lauo  
Murmure Salluuias fama aspirauit ad urbes!  
Quis clamor, que cura viris! Vix primus ad aures  
Rumor ijt nostras, capit is discriminem amici  
Allatum, quanquam nomen reticetur amici,  
Vaticinatur amor. Vanis lactare timentem

4

*Artibus haud opus est (inquam:) GASSENDVS adhuc-ne  
Est super? anne cui perijt Sapientia nostri?*

*Non responsa comes dederat, mihi funeris Augur  
Extudit ista dolor. Proh quantum Gallia luges  
Orba caput! Quantus, veteris Prouincia Roma,  
Est tibi raptus honos! Salyi plorate Penates  
Quem decorat mœrens communi Europa sepulcro,  
Quique per ora virūm Salaris adorea terra  
Æternum extendet longinqua ad secula nomen,  
Fortè olim ambiguo mage litigiosus Homero.*

*Huic-ne parem vidistis aut? qui nosceret unus  
Astrorum aspectus varios, calique meatus,  
Ingentisque vices Totius, idoneus auctor  
Ardua metari dubio systemata mundo,  
Inde Syracusio doctas in puluere metas  
Ponere, Socratis nunc impallere lucerne.*

*Iam studi austерum teneris fregisse Camœnis,  
Quām paucis tribuere Dei? Memini ipse fidelem  
Incipiens memori cūm redderet ore Maronem;  
Nunc MAGNUM Lucane tuum; modò blanda Catulli  
Carmina, nunc Tragico Senecis cantata cothurno  
Fata ducum, nil non complexus mente capaci.*

*Haud tamen hinc tristes fastus, atrōxue severâ  
Fronte supercilium, sed inambitiosa decenti  
Ora pudore nitens, cuiuis concedere palmam  
Emeritus, facilemque dare obnitentibus aurem;*

*Tantus*

3

Tantus erat candoris amor, nullique recessus  
Mentis, & antiquæ spirans Virtutis imago.

Nam neque rancidulas (deliramenta Sophorum)  
Quisquilias legere, & farragine tinctus Iberâ  
Figere subtilem doctus per inane Chimaras:  
Sed Latia verè madido Grajaque Minerua,  
Democriti quid sancta viri sententia ponat,  
Aut Epicureo fundat Lucretius œstro,  
Quidquid Anaxagora, Patrisve arcana Platonis  
Sacra ferant, aut quæ numerosa obducta figurâ  
Pythagoras tacita pandat mysteria turba,  
Omnia nosse datum: nec Aristotelea modestus  
Pulpita despiciens, sed veri afflatus amore  
Iurgia clamosa non profectura Palastræ,  
Mutauit meliore modo. Non barbara doctos  
Verba premunt sensus; verum hoc duce pura Suada  
Flumina rursus agris Sophiae fluxere Latinis.

Quid referam, quantus iuuenilibus inslit ardor  
Pectoribus, cacas Naturæ euoluere leges,  
Et ductore novo (quid enim hoc ductore negatum?)  
Prima per ignotos tentare pericula calles.

Nunc datur audaces non nostra ad sidera vultus  
Tollere, & admotâ propius cognoscere cœlo,  
Qui geminas (quondam ut sua pignora) Falcifer Ansas  
Sorbeat, utque suis Iouis ardeat orbita Lunis,  
Quidve lacunosa distent fraterna sorori

Nubila, suspensos que vis agat incita Mundos.

Sin iuuat aspectus propiori obuertere terras,  
 Quam pulchrum signatur iter! nouus audet aruspex  
 Coniucere, inspectis animantium cominiis extis,  
 Quos agat (Haruao licet indignante) recursus  
 Voluendus sine fine crux. Quid ponere leges  
 Motibus, et rebus que momina parta caducis  
 Districto numerare gradu? Quo tenditis, ejus  
 Ignari rerum Artifices! quo tenditis, atris  
 Conseruisse manus Laruis; Lucisque, Sonorisque  
 Appulsus tenues, atque irrequia Galorum  
 Semina, fallaci verborum inuoluere fuso?  
 DISCITE, Et ex uno summam comprehendite Motu.  
 Heu sperare nefas: donec deserta Lycais  
 Exulat Vranie, pa<sup>s</sup>imque ingentia grandes  
 Ingenia exercent nuga, nostrisque pudori  
 Pinguia Diuinâ feruent Hypocausta Mathesi.

Hoc erat in votis G A S S E N D O, agnoscere vultus  
 Naturæ, Artificis numerosque Et pondera mentis;  
 Dumque audiō, rerum tot tentamenta, labore  
 Concipit, Et morbo sapientum occurrit aucto,  
 Non sensit repuisse suum. Sic dulce sciendi  
 Tormentum, Et studij subit insidiosa voluptas.

Scilicet ingenij sub mole minora fatiscunt  
 Corpora, ut inclusus vagina tegmina mucro  
 Exedit, hospitijs Et violat iura improbus hospes;

Hinc

7

Hinc Petro properata dies. Sed fare; sinist<sup>r</sup>,  
(Sic tacitum, tandem mihi redditus, hortor amicum)  
Fare sat in certâ manauit origine, rumor?  
Ille indignantis similis: Quid perdere inanes  
Pergis, ait, quastus, falsoque praire dolori?  
Quem præmaturo raptum modò funere ploras,  
Vinit adhuc, Bona verba precor, languore soluto  
DI meliora dabunt. Evidem spiramina Pulmo  
Liberiora negat, tenuique calentia febri  
Corda, vaporatum commorunt sanguine pectus.  
Sed rogo (si Superis cura terrena) timori  
Quis locus? An rerum mitissimus ille, cruento  
(Et Phœbus videat) potis est occumbere fato?  
Quid quod plena Deo, & castis dudum hospita Musis  
Pectora, queis totâ Charitum immigrante choreâ,  
Ipsa suas (superatque locus) sapientia sedes  
Intulit, exiguis pulmone refusus anbelo  
Obruert arcta crux? Sed Climacterica terrent  
Te quoque? Septenos nouies nempe attigit orbes,  
(Tempora præsago nimium funesta Platonis;  
Hac potuit timuisse Plato. Dum pergimus ambo,  
Quâ licet, incertum dictis mulcere dolorem.

Ecce Parisino spectacula dira theatro;  
Depositis iacet heu lectis lacrymabile pondus:  
Nulla quies oculis, fartum quatit arida pectus  
Tussis, & oralicet deformet lurida pallor,

Ardentes

Ardentes rubuere gena: vox blanda recessit  
 Faucibus, & gracilis successit gutture raucor,  
 Luctantisque anima, suspiriaque agra trahentis  
 Flebilis erumpit stridor; sic sanguine Pulmo  
 Aestuat, & nigro manant vitalia tabo.

Qualis ubi affusus lychnis fumantibus humor  
 Exuperat, crassisque bibunt ellychnia succos;  
 Fit crepitus, pinguique natans luctatur olio  
 Fomes, & extingunt tenues sua pabula flamas:  
 Sic grauis exundat per torrida viscera pestis,  
 Vitalisque vias precludit, & ignibus obstat.

Tene ego, grande decus literarum, orbisque periti  
 Dulcis amor, te spes hominum, te cura Deorum  
 Indigna aspicio tantum non morte sepultum?  
 Et segnes Tymbre moras, & Delphica proles  
 Nectitis! Huc plenis, huc munera fundite dextris;  
 Mella Cecrops, pullaque Aegypte ecligma medulla,  
 Manna pius Calaber: Natura laborat in uno  
 Pectore, diluvio iam suffocanda cruento.

Circunstant lecto interea, certantque medentum  
 Turba sagax, audi tant' incubuisse saluti,  
 Spemque metumque inter dubij: Cum clarus ab arte  
 Phœba, (sancta forte hic faciebat Hygæa)  
 Extremâ exclamat subito PATINVS ab aulâ,  
 Macti animis! Et sunt (mihi credite) Numinia cœlo;  
 Audimur socij; risit mihi dexter Apollo,  
 Et

9

*Et subiens auras hac verba nouissima dixit :*  
**I**NVIDIÆ EST DANDVS SANGVIS ; quòd  
pectora vincat  
*Omnia solerti GASSENDVS pectore , Linor  
Vrit edax , pestis primum hac vitalibus hesit  
Frigida , sed rabido post paulò accensa furore  
Excitat in venis incendia ; sensit Alumni  
Penè sibi incautæ repuisse obliuia virtus ,  
Utque loco cedat Stygis implacabile monstrum ,*  
**I**NVIDIÆ EST DANDVS SANGVIS , sic  
Numina poscunt.

*Vix benè desierat PATINVS , Apollinis arma  
Expediunt moniti , paterisque capacibus instant  
Linuentem penitus venis haurire cruentem.  
Tùm lapsæ redeunt vires , vigor ore reuixit  
Pristinus , adspirantque iterum vitalibus aure  
Follibus . O superi ! quot pectora respirare  
Vnus dat vacuo liber spiramine pulmo.*

*Ite animis alacres , quibus est Sapientia cordi  
Tuque age votiuos , Prouincia clara , triumphos :  
Plus quam Thessalicis dura excantauimus astra  
Carminibus ; ventura patent cui fata , MORINV  
Conciliatus adest . At tu cui munere Diuum  
Lux data , Nestorei sic lasses stamina fusi ;  
Sic tibi de nostris longum neat Atropos annis ;  
Neu propera tibi sat noto succedere cœlo ;*

Vine diu terris , expectatimque serenus

Sparge diem : nondum te pronus adorat Iberus ;

Mille triumphato restant errore trophya.

Perge iterum (nam quis non tanta ad nomina currat)

Perge voluminibus tandem tua sensa daturis

BARBERIVM ditare tuum. Sic spondet Apollo ;

Olim tempus erit , cum te schola docta magistrum

Ambiat , atque altas tibi tota Lycea secures

Summittant , unisque Auctor laudere cathedris ,

Inque tuas vulgo iuret Sapientia leges .

Dum nos accepti memores , plenique futuris

Interea , votis damnati , adstabimus aris

Non sine Farre pio , & Viui libamine Vini .

### FINIS.







